

Anno 1177.

XVI Kal. Septembris, Indictione X. Venetiis.

Imperatore Federico I conferma gli antichi patti, ed altri ne stabilisce fra il Reame d' Italia e li Veneziani.

(Dal Fantuzzi che lo trasse dal Codice Trevisani).

In nomine Sanctae, et individuae Trinitatis Federicus Di-
vina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus. Quoniam stabilem Christianorum Principum charitatem operari plurima bona ad multorum utilitatem evidenter novimus, et viros Sapientes, ac discretos Rectores Regnorum suorum notos habere, et amicos semper curavimus, Sebastianum Zianum Virum egregium, et Clarissimum Veneticorum Ducem, quem lucis Sapientiae, et totius honestatis ubertate praedicabiliter pollere manifestum est habere notum et amicissimum ac decus Imperii Nostri, stabilitate perpetua decrevimus, ad cujus rei evidentiam dilectionem ipsius toto cordis affectu amplectentes in confirmandis illis, quae ab antecessoribus nostris, suis Antecessoribus collata, et confirmata sunt libenti animo, et petitione ipsius, sicuti carissimi nostri per omnia satisfacere studuimus. Hac igitur ratione omnino uniti, nostram utriusque dilectionem rationabiliter observavimus, et in multis, magnisque negociis publicis, ac privatis ejus sinceram dilectionem, ac praeclaram Sapientiam Imperio nostro, et Nobis, nostrisque Fidelibus utilem existere probavimus. Et quia ipsius rei efficacia, et sapientia, judicio sapiens atque discretus Venetici Regni Rector extitit, et egregia fides, et purae dilectionis exhibitio, quam semper erga Nos habuit, et nostrum Imperium, eum in omnibus nobis comendabilem exhibuit, dignus ejus, et honestus interventus apud nostram Imperatoriam Majestatem locum, utpote amici carissimi, et viri sapientissimi venerabiliter obtinuit. Igitur ob sinceram, et venerabilem ejus dilectionem, quidquid ipse Dux, et Venetici Ducatus Ecclesia et populus ex antiquo per multos annos Imperii nostri potestate, secundum quod in praeceptis nostrorum Antecessorum Regum et Imperatorum continetur, et in pacto Ottonis, et Henrici, atque Lotharii Imperatorum legitur, juste, e legaliter tenuit, et habuit per hanc nostram Imperialem paginam renovamus, et confirmamus, ita quidem ut pars parti nil malignum aut injustum, sed semper quod rectum est in omnibus actionibus, et rebus facere praesumat, et si (quod absit) aliqua malitia vel laesio inter partes commissa fuerit, per hujus foederis decreta tergantur, ac facta satisfactione a rebelle, et transgressore parte ad pactum observandum, haec series foederis per cuncta inviolabiliter annorum temp. curricula maneat, remota contradictione, vel impugnatione, tam nostra, quam omnium successorum nostrorum, quia injustum videtur, ut aliquis vel suis, vel aequis sancionibus oppugnare nitatur, et ut maxime notentur specialiter vicini Populi tam ex nostro Regno, quam ex praedicto Ducatu Venetia ea

quibus omnimodo hanc pactionis institutionem observandam esse decernimus, hi sunt, ex nostro scilicet jure: Papienses, Lucenses, Placentini, Mediolanenses, Pisani, Florentini, Cremonenses, Januenses, Ferrarienses, Ravennenses, Pisaureses, Senogalienses, Chomaclenses, Craemonenses, Anconitani, Ariminienses, Fanenses, Humani, Firmenses, Epinenses, Montesilicenses, Gavellenses, Vicentini, Paduani, Trevisani, Cenetenses, Forojulienses, Istrienses, et cuncti de nostro Italico Regno, sive qui modo sunt, aut in posterum futuri sunt.

Ex praedicto vero Venetiae Ducatu, sunt videlicet: Rivoaltenses, Brundilienses, Capru-lenses, Methamaucenses, Lauretani, Civitatinenses, Torcellenses, Murianenses, Finenses, Clugien-ses, Amianenses, Gradenses, Pallestrinenses, Burianenses, Equilienses, Caporgelenses, et cuncta Generalitas populi Venetiae, sive qui modo sunt, vel qui futuri sunt.

Confirmamus itaque Veneticorum fines a nemine nostrorum inquietari, invadi, vel minorari debere, sed libere, et absque ullo impulsu quae retro ab annis possederunt multis, deinceps pos-sideant, proprietates, et praedia, quae habere videntur tam ipse Dux, quam Patriarcha suus, nec non Episcopi, Abbates, et Ecclesiae Sanctae Dei, et reliquus Populus Venetiae sibi subjectus juxta potestatem Imperii nostri, sive in campis, sive in domibus, pratis, silvis, vineis, paludibus, salictis, sationibus, piscationibus, et caeteris possessionibus quiete possideant absque cujusquam insultantis machinatione, aut laesione sive sinistra quapiam tergiversatione, ita ut nemo contra-rietatem eis videre facere praesumat, nec etiam venationes, aut pabulatum sine eorum licentia exer-ceat, neque molestiam ibi residentibus inferat, neque aliquam Navem ipsorum Veneticorum, aliqua nostri Imperii parte periclitatem predari, seu hominibus naufragium patientibus aliquam contro-versiam inferre praesumat, quod qui fecerit, componat centum Libras auri purissimi, illis, quibus injuriam intulerit, et res Domino possidentium mancipientur, et quiete liceat possessoribus illas tenere, ac frui. Quod si excursus inter partes factus fuerit, ipsa persona quae in capite fuerit ad eandem malitiam faciendam, infra sexaginta dies tradatur, et omnia quae fuerint ablata in duplum restituantur.

Quod si ipsum compositum non fuerit, vel persona ipsa tradita non fuerit infra sexaginta dies, ut dictum est, tunc per unamquamque Personam, quae ipsam malitiam perpetraverit com-ponantur aurei quingenti. Si furtum inter partes fuerit factum, in quatuorplum restituatur. Si Servi, aut Ancillae, inter partes confugerint, cum omnibus rebus, quas secum detulerint reddantur, et Judex qui ipsos fugitivos reddiderit, accipiat pro unoquoque singulos Solidos auri, sic tamen ut si amplius requiritur per Sacramentum idonea Dominis illorum satisfactio fiat. Si vero Judex, aut aliquis ipsos fugitivos suscepit, et eos reddere cura negaverit, et exinde fugerit, tunc pro uno-quoque fugitivo componat auri solidos LXXII. Quod si dubium fuerit, et denegaverit Judex, vel actor loci illius, in quo fugitivi requiruntur tunc praebeant Sacramentum XII Electi quod ipsi suscepti non fuerint, nec ullos habeant, nec in conscientia illorum sit, nec aliquas res illorum secum habuerint, si autem hoc distulerit facere, post primam et secundam contestationem prae-sentia Testium peractam, per jussionem Judicis sui liceat pignorare hominem de ipso loco, ubi causa requiritur, ita tamen ut ipsum pignus post peractam justitiam per integrum reddatur, et nullatenus liceat alicui pignus accipere per alia loca, nisi ubi fugitivi aut causae requiruntur, et si pignoratio pervenerit non presumat alia pars pro pignore aliam pignorare, sed expectet usque ad audiendam causam, ita sane ut Causae sex mensium spatio fiant, et sint finitae causae redens prius, quod ex Judicio, et prius suum recipiat. Nam si quis de alio loco pignus tollere prae-sumpserit, aut sine causa tulerit, aut aliquem pro pignore pignoraverit in duplum, quod tulerit restituat. Si vero Equi, vel equae, sive Armenta aut aliqua quadrupedia furtim sublata fuerint, in duplum restituantur, si ipsa aberraverint, omnino reddantur.

Quod si post primam, et secundam contestationem minime reddita fuerint, tunc pignoratio fiat de loco, ubi haec requiruntur, usquedum pars parti satisfaciatur, et post satisfactionem reddantur

ipsa pignora. Et hoc statutum est, ut si fugitivus, seu res reddita fuerit, vel si per Sacramenta satisfactio adimpleta fuerit modis omnibus, pars parti securitatem faciat. Si quis vero extra memorata capitula pignorare praesumpserit, causam perdat, et quod tulit restituat, negocia autem inter partes fiant, et liceat dare et accipere quicquid inter eos convenerit sine aliqua violentia, vel contrarietate, ita ut aequa conditio utrarumque partium negociatoribus conservetur. Ripaticum autem, et quatragesimum Venetis detur secundum antiquam consuetudinem, ipsi vero Veneti per totum Imperium, et per totam terram, quam vel nunc habemus, vel in postero autore Deo habituri sumus, liberi sint ab omni exactione, et datione, et licentiam habeant homines ipsius Ducis ambulandi per terram, seu per flumina totius Imperii nostri, similiter et nostri per mare, usque ad eos, et non amplius. De hoc convenit, ut si quae laesio inter partes evenerit, Legatarii non detineantur, si vero detenti fuerint, relaxentur, et componantur eis Solidi CCC. Et si (quod absit) occisi fuerint, componantur Parentibus eorum pro ipsis solidi mille, et ipsa persona tradatur in manus eorum, si quis inter partes causam habuerit vadat semel aut bis cum Epistola Iudicis sui. Si ei justitia facta non fuerit infra dies XIV. si ipse homo, unde justitia requiritur infra ipsum locum fuerit infra dies septem, licentiam habeat pignorare Iudex qui ipso tempore ordinatus fuerit infra causam suam, quantum ipsum debitum fuerit, et ipsum pignus usque ad determinationem causae teneatur.

Quod si ante steterit pignus componantur solidi XII. causa manente, ut pro eo iterum pignoratio fiat ubi potuerit in finibus, ubi causa requiritur. Si tamen ubi iudicium ambabus partibus denunciatum fuerit, residentibus duobus de utraque parte ubi causa requiritur, quod ipsi per Evangelium terminaverint, pars parti satisfaciatur. Addimus autem, ut si quis homicidium perpetraverit modis omnibus ipse, et quanti mixti fuerint in ipso homicidio ligati tradantur, quod si factum non fuerit, pro unaquaq. Persona, componantur Auri solidi CCC. Simili poena decrevimus damnandum eum, qui in Communibus Mercatis tumultum Populi excitans homicidium perpetraverit.

Quod si tumultus sine homicidio aut plaga sedatus fuerit, componat pro solidos auri CCC. Si aliqua pignoratio in Silva fieri debuerit, sine homicidio fiat. Et si (quod absit) homicidium factum fuerit, pro libero homine componantur auri solidi CCC, et pro Servo L. Si plaga facta fuerit, ut non moriatur, pro libero homine solidi L. pro Servo XXX. tantum est, ut in rebus Sanctarum Ecclesiarum Dei, nullus pignorationem faciat, excepto, si cum Sacerdotibus causam habeat, et ante compellatio fiat semel, vel bis. Namque si aliter praesumpserit componat. Et si nesciens pignoraverit, praebat Sacramentum et sit solutus, pignusq. salvum restituat, et hoc stetit de Capulo, quod Rivoaltenses, Methamaucenses, Albionenses, Torcellenses, Amianenses fecerunt retro ab annis multis, habeant licentiam faciendi secundum antiquam consuetudinem, sive per flumina, sive per mare. Equilienses vero capulari debeant in Ripa Sancti Zenonis, usque in fossam Mathamauci, et Gentionis, secundum consuetudinem omnem arborem, et regere cum carro, aut ad collum, quantum sibi placuerit, et habeant licentiam pecudes in ipsis finibus pascere, vel pabulari. De finibus Civitatis novae statuimus, ut terminatio, que tempore Luitprandi Regis facta est inter Paulautionem Ducem, et Marcellum Magistrum Militum, deinceps manere debeat, idem de plave majore, usque in plavem siccam, pecudes quoque, et greges cum securitate pascere debent. Caprulani vero in Silva Forujuliana, ubi semper capulaverunt, capulare debeant, similiter Gradenses secundum antiquam consuetudinem in Silvis Forojulianis capulum faciant. Confirmamus etiam Lauretum, ut quantum aqua salsa continet, eorum subjaceat Potestati, et nullus Princeps, vel pauper aliquem Veneticorum distringat aut Legem facere de aliqua habita substantia, aut ad placitum ducere, nisi in praesentia illorum Ducis, aut fodrum tollere de illorum terris, quae in nostro Imperio sunt, aut bannum mittere tam de Dominis habitantibus, quam de illorum hominibus ubicumque habitantibus justitiam aliquam accipere praesumat, nisi in praesentia

Dominorum suorum. Confirmamus, ut pars parti de causis Ecclesiarum, Monasteriorum omnimodo Justitiam faciant. Volumus, ut pro una libra denariorum, vel uno homine Sacramentum, etsi usque ad XII libras denariorum Veneticorum XII electi juratores addantur, nam si ultra XII libras quaestio facta fuerit, juratores ultra duodecim non accedant.

Statuimus etiam de pignoribus, quae inter partes facta fuerint, ut si quae de eis contentio orta fuerit, illi tribuatur arbitrium jurandi, quod pignus habuerit soli sine electis. De cautionibus vero simili modo agatur. Promisit cunctus Ducatus Veneticorum Nobis, et Successoribus nostris pro hujus pactionis foedere annualiter omni mense Martio persolvere libras suorum denariorum quinquaginta, et totidem libras piperis, et unum Pallium.

Si quis igitur Dux, vel Marchio, Comes, Vicecomes, aut aliqua magna, vel parva persona hujus nostrae Imperialis Paginae violator extiterit, quod minime futurum credimus, sciat se propterea compositurum auri optimi libras mille, medietatem Fisco Imperiali, et medietatem Duci Veneticorum.

Quod ut verius credatur, et ab omnibus diligentius observetur, hanc paginam corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri, sub testimonio Principum quorum nomina subscripta cernuntur, et sunt autem hi videlicet.

Ulrichus Patriarcha Aquiliensis.

Enricus Patriarcha Gradensis.

Christianus Maguntinus Archiepiscopus.

Philippus Coloniensis Archiepiscopus.

Arnaldus Treverensis Archiepiscopus.

Wicmarus Magdeburgensis Archiepiscopus.

Hartuicus Augustensis Episcopus.

Conradus Wormacensis Electus.

Wortuinus Prothonotarius.

Sebastianus Zianus Dux Venetiarum.

Florentius Comes Holandiae.

Enricus Comes de Dietha.

Theodoricus Marchio de Landerherc, et Frater ejus Dedo Comes.

Conradus Marchio Anconitanus.

Ubertus Comes de Blandrato.

Conradus Marchio de Monteferrato.

Petrus Traversarius de Ravenna.

Taurellus Ferrariensis.

Signum Dni. Romanorum Invictiss. Signum Federici Imperatoris.

Ego Gottifredus Cancellarius vice Philippi Coloniensis Archiepiscopi, et Italici Regni Archicancellari recognovit.

Acta sunt haec anno Incarnationis Domini MCLXXVII. Indictione X. Regnante Domino Federico gloriosissimo Romanorum Imperatore Augusto. Anno regni ejus XXVI. Imperii vero ejus XXIII. feliciter. Amen.

Data apud Venetias in Palatio Ducis XVI. Kal. Septembris.

K.